

non erat extraneus ; germanus erat eius qui nunquam a
50 patre discesserat. Filius ergo est qui ad ultimos malorum
fines dicitur pervenisse ; abierat enim in regionem lon-
giquam et longe satis a Deo effectus, qui fuerat dives et
nobilis, deterior servo et mercenario factus est. Sed tamen
regressus et paenitens in antiquum recipitur statum et in
55 priorem gloriam reparatur. Quod si desperasset et eru-
buisset pro his quae accederant ei reverti ad patrem
sed permansisset in regione longinqua et aliena, non
utique adeptus esset, ea quae adeptus est, sed fame
perditus infelicissimam mortem subisset. Vides ergo
60 quanta sit utilitas paenitentiae, quanta conversionis
spes : per paenitentiam filius prodigus recipit prioris glo-
riae statum, quem senior frater habebat per patientiam.
Et si audere in talibus fas est, videtur mihi quod ex con-
versione hic etiam amplius aliquid meruerit. Vide enim
65 quomodo senior frater dicit : « Ecce tot annis servio tibi
et nunquam mihi dedisti haedum ut cum amicis meis
epularer. Cum autem venit filius tuus hic, qui comedit
substantiam tuam cum meretricibus, iugulasti ei vitulum
saginatam. » Quomodo ergo non amplius consecutus vide-
70 tur, qui per paenitentiam redit : cum ille haedum nun-
quam acceperit, huic vitulus occisus est saginatus.

8. Haec igitur, carissime, habentes exempla paeniten-
tiae non perseveremus in malis nec desperemus reconci-
liationem sed dicamus etiam nos : « Redeamus ad Patrem
et approximemus Deo. » Nunquam, mihi crede, aversabi-
5 tur conversum ad se ; nos, nos sumus qui nosmetipsos longe